

UNIVERSITY OF TORONTO
CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

Ph.D. Level Latin Examination

April 28, 1982

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. HUMBERTUS DE ROMANIS ON BOOKS, C.1260

Circa libros est reprehensibilis nimia pretiositas, et maxime in libris religiosorum, qui in omnibus maxime debent praetendere paupertatem. Hieronymus in Prol. sup. Job: Habeant qui volunt veteres libros in membranis purpureis, auro argentoque descriptis, dummodo permittant mihi meisque pauperes habere cedulae. Item, pulchritudo. Pulchritudo enim est puerile quid, quia pueri delectantur in litteris floridis et varie depictis, et hujusmodi pulchritudinem praeferebant. Puerilitatem multi senes retinent. Seneca: Plerumque non pueritia, sed, quod gravius est, puerilitas remanet in nobis. Item, multitudo. Sunt enim quidam qui habentes libros sibi sufficientes omnibus diebus vitae suae, adhuc non cessant cumulare libros, et inutiliter conservare, in quibus quandoque numquam legunt. Contra hos est in Vitis Patrum verbum senis cujusdam, qui rogatus a fratre quodam ut diceret ei verbum dixit ei: Quid habeo tibi dicere, quia tulisti ea quae sunt viduarum et pauperum, et posuisti ea in fenestris? Hoc autem dixit quia viderat fenestras eius codicibus plenas.

2. VATICINALIS HISTORIA C.1189

A multis requisitus et multocius ut inclita nostri temporis gesta, que vel certis ab indicibus audivi vel oculis ipse conspexi, litteris commendarem, temporum iniuriam pretendere consuevi. Que certe, invalescente luxu rerum ac libidine, tam sumptuosa sunt et ambiciosa ut insaciabilem corporis ad curam liber ille animus ex toto captivetur. Considerans tamen et diligentius attendens rerum istarum noticiam posteritati fore perutilem, nihilque laudabili ingenio mentique studiose adeo perniciosum et pestiferum, ut otiositatis vicio contracta desidia, stilo potius indulgendum mihi ipse persuadens, vix tandem monitis acquievi. Sed quid presemptuosius esse potest quam ut scribere velimus non vacantes, ut publice legi gestiamus non legentes, ut invidi et invidi iudicis undique subdamur examini nos ipsos non examinantes? Tullius eloquentiae fons, cum dicere peteretur, fertur excusasse quod pridie non legisset. Quid iam aliis accidere poterit, si tanta laus facundie auctorum visa est beneficia postulare?

3. NOTKER BALBULUS (?): GESTA KAROLI

Insidiarum peritus adversarius, in via qua ambulamus, laqueos nobis abscondere solitus, alium quidem hoc, alium vero alio vicio supplantare non desistit. Cuidam sacerdoti - episcopi quippe nomen in tali re supprimendum est - fornicationis crimen imponebatur. Cumque hoc iam ita in noticiam populorum devenisset, misit districtissimus inquisitor iustitiae Karolus duos de palatinis, qui ad proximum civitati locum vespere divertentes, mane primo ad sacerdotem inopinato venirent, et ipsum sibi missam celebrare postularent; et si nimis abnueret, illi eum ex suo nomine constringerent, quatenus per se ipsum sacrosancta misteria celebraret. Qui nesciens quid ageret, quia et ante superni spectatoris oculos ipsa nocte pecasset, et illos offendere non auderet, plus tamen homines quam Deum metuens, frigidissimo fonte aestuantia membra baptizans, ad afferenda terribilia sacramenta processit. Et ecce, vel conscientia cor quatiente, vel aqua venas penetrante, tanto frigore correptus est, ut nullo medicorum adminiculo possit adiuvari, set inmanissima febrium valitudine perductus ad mortem, districti et aeterni iudicis decreto animam reddere cogereetur.

4. THE PRIOR OF WINCHESTER TO CARDINAL KEMP - 1440

Ex quo conformis officii curam in orto ecclesie vestre inposuerat mihi vestra paternitas graciosam, prout gracia et vires mihi suppetunt insudavi ut cum humore duplicis sciencie, cantus videlicet et grammaticalis intelligencie, irrigari possit ecclesie vestre ortulus antedictus. Preter enim quendam in grammaticalibus informantem, est et apud nos quidam presbiter alius nomine Robertus Bygbroke deputatus ad erudicionem iuniorum in cantu, quem non solum, sed et me et quicquid poterit mea tantilla modicitas, ad contemplacionem littere vestre transmitto gaudenter, humillime tamen exorans ut audeo, quatinus vestra summa nobilitas nobis hactenus semper tenerrima, aliquo qualiter considerare dignetur quod dictus presbiter, licet inter philomenas eximie capelle vestre foret satis exiguus, inter nos tamen rurales tanto est necessarius quod per eius absenciam mutulatur graviter chorus psallencium, silet melodia organorum, et pre huiusmodi penuriam imminet ecclesie vestre risus et derisus plurium detractorum.